

C. S. W.

88.

1.)

2.)

3.)

4.)

5.)

6.)

7.)

8.)


9.)

10.)

Nf. 117.

- Pragmata.
- 1.) Dissertatio Theologica de morte naturali. a. C. M. Pfaffio. Subingae. 1722.
 - 2.) — — — de confirmatione Catechumenorum in ecclesiis August. Confess: adiectio usitata. a. eod: ib. 1723.
 - 3.) — — — De coelo beatorum. a. eod: ib. 1722.
 - 4.) — — — de impersonalitate et perpetuitate humanae Christi natu-
rae. a. eod: ib. 1722.
 - 5.) — — — de initiatione, expiatione, benedictione et confirmatione catechu-
menorum. a. eod: ib. 1722.
 - 6.) — — — de Eucharistia contra Rogerium. a. eod: ib. 1721.
 - 7.) — — — de Nativitate Iesou. a. eod: ib. 1722.
 - 8.) — — — de erroribus Pfaffii. a. C. Alethaeo. 1722.]
 - 9.) — — — de recta Theologiae Typicæ conformatione a. C. M. Pfaffio.
Tub. 1723.
 - 10.) — — — de Cheiographo Pauli in favorem Onesimi ad Philemonem.
a. eod: Lipsiae. 1732.

307



i.
9

COMMENTATIO ACADEMICA
DE
RECTA
THEOLOGIÆ TYPICÆ
CONFORMATIONE.

Hanc
publico colloquio
subjicent

P R A E S I D E

CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

S. Theol. Doct. & Profess. Primario,
Univ. Cancellario & Eccl. Præposito

Respondentes

JOANNES JACOBUS ZWISLER, Bezingensis,

&

JOANNES PHILIPPUS GOELZ, Weilheimensis,
Sacrarum Literarum Cultores

mense Augusto, M DCC XXIII.

in aula novâ
horis consuetis.

T U B I N G Æ
impressit GEORGIVS FRIDERICVS PFLICKIUS.

rx.

urz. 196.





ANTECESSIO.



Nter illas Theologiae elegantioris partes, quæ nostro hoc seculo plurimum exultæ fuere, *Theologiam* quoque *Typicam* haud infirmum occupare locum, nemo est eruditorum, qui ambigat. Nec tamen & olim neglecta illa parcusque evoluta fuit. Certe, nimium quod est, præstiteret hic Doctores Judæi, qui tot fictis, imò & inceptis allegoriis (a), tot illatis sensibus (b) sanctioris Scripturæ libros pro ingenii, quo laborarunt, nimis sapientis fœcunditate oneravere. Ast inter tot inepta, quæ confinxere illi, est tamen & aurum quoddam, quod splendet, veteris illius traditionis (c), quâ Ecclesia Judaica fūlit, propago, aurum, inquam, ex stercore ineptissimarum traditionum extrahendum (d). Nec & à Theologij Typicâ alieni fuere Patres (e). Adeò sanè non alieni, ut & illi nimis hīc luxuriaverint (f). Nemo est, quem id lateat, si saltem Barnabæ (g), si Hermæ, si Iustini M. si Irenæi, si Theophili Antiocheni (h), si Tertulliani, si Origenis (i), si & Ambrosii & Augustini & maximè Gregorii M. & Bernhardi & plurimorum aliorum,

A

&

& Isidori Hispalensis (k) & Hugonis Victorini (l) scripta
legerit , ubi allegoriis Biblicis nimiam eos operam de-
disse, facili negotio intelliget. Excedere verò hic & Scri-
ptores Pontificios (m) constat. Nostri, qui Theolo-
giam Typicam excoluere (n), suis utique se circum-
scripsere limitibus. Nescio , num & idem de Scripto-
ribus Reformatis (o) affirmari queat. Constat, quan-
tam sibi & suo quidem præcipuo merito inter eodem
nominis famam conciliaverit JO. COCCEJUS , Vir
doctissimus (p). Sed sunt sanè , qui existiment , il-
lum , licet præstantissima subinde scripserit , tamen in
amplificandis Theologiæ Typicæ finibus modum ex-
cessisse (q). Quicquid hoc rei sit , constituimus , bre-
vi penicillo in commentatione hâc cogitata illa , quæ
de hoc arguento animo volvimus , delineare & ef-
ferre , sine ullo , ut voluope nobis est , partium studio.
Cùm verò nobilissima sit hac scribendi materies , cùm
& dudùm promiserimus , aliquando , si faverit seculum ,
institutiones Theologiæ Typicæ & Propheticæ edere , eò
alacrior jam manibus nostris infunditur calamus , qui , quæ
prodromi loco hâc scribi & præmitti possunt , in chartam
jaciat. In duo verò capita tractationem hanc nostram
dispescere nobis placet. Unum *dogmaticum* erit , *polemicum*
alterum. In illo , quæ sit recta & genuina Theologiam
Typicam tradendi ratio , ostendemus. In hoc extre-
ma illa , quæ in Theologiâ Typicâ vitanda sunt , per-
stringemus. Tu , si placet , fave , *lettor* , & serenâ
fronte , quæ hâc scribuntur , excipe.

(2) Eiusmodi allegoricas interpretationes easque contortas & obtuso collo-
raptas invenire est paullum in Solihare , in Rabbor , in Talmude , in pluri-
mis alios Judæorum libris , maximè Cabballisticis. Appellant illas
מִשְׁנָה שְׁמַרְתָּה , sibique ; ubi ejusmodi efferrunt commenta , mirifice placent atque

in hac sapientia sua plurimum tripudiant. Sed haud sapiente sane sic illi & lectoribus vel risum vel naufragium movent tuissimum carent.

- (b) Solices non unum solum sed plurimos, imo infinitos esse Scripturarum fan-
tiorum esse sensus, sunt, qui nungentur ex Judais. Vide, si placet,
J. H. Hottingeri thesaurem Philologicum sive clavem Scripturae L. 1. C. 2.
sect. 7. p. 234. sqq. maximè vero Jo. Andream Eisenmengerum in dem ent-
deckten Judenthum P. 1. C. 9. p. 453. sqq. Hinc & dicunt illi in Kiddu-
schin f. 49. col. 1. in fine: **מִתְרוֹגָם פָּסָק כַּרְוָה הַיְהּ וְהַנְּזֵבֶן** **qui ex-
plicit textum Scriptura juxta literam, ete is est mendax.** Id quod sane
haud consupras cum altera illa veterum Rabbinorum regulâ, que ex his in
Schabbat f. 63. col. 1. media: **אָנָּן מִקְרָא נִצְאָן מִזְדִּי פָּשׁוֹת** **Scriptura non
egreditur è sensu suo literali**, id quod repetit R. Salomo Jarchi in præfatio-
ne ad Canticum Canticorum:

סֻפָּר נֶכֶר אָנָּן לְמִקְרָא נִצְאָן בְּיוֹדָה פָּשׁוֹת צִדְקָה לְנִשְׁבָּחָה
שְׁבוּר הַנְּבָאָם בְּיוֹדָה עַל אֲנָפָתָה
**Ut paucis rem dicamus, scriptura non egreditur è
sensu suo literali, ac, quamvis Propheta loquuntur subinde allegoricè, ea
tamen, que dicunt, genuino in sensu sumende sunt. Confut. Jo. à Lent.
de modernâ Theologî Judaicâ C. 2. §. 27. p. 68. sqq. Quod refat, con-
stat quoque, inter Judæos veteres, qui Gracè scripere, allegorii mirifi-
cè deditum fuisse Philonen.**

- (c) Ita enim proflus exsurgimus, in Ecclesiâ Judaicâ veteri olim ejusmodi tra-
ditionem eamque inde a Prophetis propagatam viguisse, que typos sub
cerimonias factisque veteris Testamento latentes explicaverit, que & sensum
istum mysticum dictorum veteri Testamento de Messia agentium
ostenderit & inculcaverit. Hinc ad ejusmodi dicta sine illa Judæorum con-
tradictione provocare Salvator optimus maximus ipsiusque Apostoli, at-
que ex Theologî Typicâ veteris Testamento eos instruxere. Traditionem
illam, si velis, nuncupaveris Kabbalam, licet cum recentiorum Kabbalistarum
placitis vel deliriis eidem nihil commune sit. Etenim rationem le-
gis typicam ipsiusque ad Messiam respectum agnoscunt Judæi sapientiores.
Vide Josephum de Voiisin de lege divina C. 24. 43. sqq. Pet. Danj. Huetum
in demonstr. Evangel. Prop. 9. C. 171. §. 7. 8. Jo. Spencerum L. 1.
de legibus Hebr. rit. C. 11. sect. 1. p. 155. 162. & præstantissimi Viri
Andr. Christ. Zelleri vaccam rufam in præfatione, ** 4. sqq. Dicta au-
tem illa, que in N. T. de Messia allegantur ex veteri, & ab antiquis Judæis
de Messia explicata fuisse ostendunt Raymundus Martini in pugione fidei,
Per. Galatinus de arcana catholica veritatis, P. Allix in Judicio Ver. Ec-
clesiae Judaicæ contra Unitarios, J. A. Danzius in quibusdam dissertationi-
bus, Eislers & G. E. Edzardi in consensu antiquarioris Judaicæ cum explic.
Christ. & in pref. ad Ayoda Saræ, B. H. Gebhardi in centum locis N. T.
vindicatis, Christ. Helvicius in elenchio Judaico, aliquique Autores Anti-Ju-
daici infiniti. Ceterum de Kabbala Judæorum exegistica velim conferri
Virum nobis amicissimum J. C. Wolsfum in Bibl. Hebr. P. 2. p. 1197. sqq.

1236. sqq. & que nos diximus in diss. de traditionibus non scriptis p. 5. 6.
Addit. jam celeb. Clerici Bibl. choirie T. 16. p. 346. 347. & Biblioth. ancien-
ne & moderne T. 16. p. 360. sqq. atque Guili. Surenhusii *BiBliotheKaLaMAYiS*
p. 16. 24. 25. Num parabola Evangelicæ, que in scriptis Talmudicis
existat, ex illidem perita sint, disquirunt Autores eruditæ, quos allegat
idem Wolfius I. c. p. 977. sqq.
- (d) Hoc negotio functi sunt Viri eruditissimi Jo. Drusius, Jo. Buxtorfius,
Jo. Lightfootus, Jo. Seldenus, Camp. Vitringa, Jacobus Rhenserius, J. H.
Maji, Guili. Surenhusius aliquæ infiniti ferè, quos recenset industria
ejusdem Wolfi I. c. p. 970. 971. Ceteræ cum Novi Testamenti libri eis
dictione Græca conscripti sunt, que genium Iudaicum sapit, facile appetat,
illos ex Judeorum scriptis vetustissimis plurimum illustrari posse.
- (e) Patrum loca, Theologiam typicam commendantia, dat Jo. Spencerus de
legibus Hebr. ritual. L. I. C. XI. quem vide.
- (f) Specimen rerum cape, si placet, ex Danielis Whithby dissertatione de S.
Scripturarum interpretatione secundum Patrum commentarios, Londini
A. 1714. 8. edidit. Dignus est, ita arbitratur, liber, qui evolatur.
Ratio autem instituti haud patitur, ut ex illo quedam huc transferamus. Addit
vero & Glaßii Philol. sacram L. 2. P. 1. Tr. 2. Sect. 3. art. 5. sqq.
- (g) Mira hanc in rem sunt in epistola Barnabæ, que & suspectam illam pluri-
mis reddiderunt.
- (h) Hic seculo, & jam libros allegoriarum in S. Evangelio scripsit. Vide Fa-
bricii Bibl. Gr. L. 5. C. 1. p. 93. 94.
- (i) De allegoriis Origenis egregianæ dedidit dissertationem celeberrimus Jenenfum
Theologus, J. F. Buddens. Existat in parergis historico-theologicis p.
143. sqq.
- (k) Hujus existat allegoriarum S. Scriptura liber, compendium quasi allegoriarum
in Octateuchum ex variis scriptoribus contextum complectens.
- (l) Habentur illius annotationes elucidatoria allegoriarum in V. T. & in IV.
Evangelia in ejusdem operibus. Conferre hic meretur idem, quem jam ci-
tavimus, cel. Buddeus in Init. Theologis dogmaticis p. 241. sqq.
- (m) Vide ex his Hieron. Lauretum in sylva fine horto allegoriarum totius S.
Scriptura, quod opus sapientissime editum fuit, Didacum Baezam in com-
mentariis allegorici & moralibus de Christo figurato in V. T. quorum qua-
tuor tom. Luggduni A. 1633. 1636. 1637. 1640. cuius habentur, & Jos.
Acostam de Christo in Scripturis revelato. Non vero mirabitur, esse ex
Pontificis, qui in allegorici & typicis interpretationibus S. Codicis luxu-
riant, qui consideraverit, esse ex iis, qui plures sensus & quidem litera-
les uni eidemque dicto sacro adscrifrant. Sententiam corundem explicant
atque examinant Glafius, Thumppius, Calovius, Quenstedius. Addit ex
Reformatis Rivetum in Ilagoje ad Scripturam sacram C. 15.
- (n) Pertinenti huc Frid. Balduinus, qui adventum Christi typicam Witteb.
1621. 8. & passionem Christi typicam ibidem 1614. 1616. (sunt enim duo
libri) edidit, & Dani. Fessilius in Christo mystico, in regno Christi my-
stico & regno Diaboli mystico, Lucas Bacmeisterus in explicatione typorum
V. T.

- V. T. Christum adumbrantium Lubeca, 1604. Mich. Baumannus in analisis typicis facris Ulmae 1665; Frid. Rappoltus in Iesu typico, Th. Hopferus in den 9. Vorbildern des alten Testaments mit ihren Gegenbildern des neuen Testaments in 9. Predigten Tub. 1678. 4. Jo. Lundius in den Judischen Heilgthumern, J. H. Majus in economis suis & Theologia Prophetica, Joach. Langius in mysterio Christi ac Christianismi in falsis typicis aliisque autores plurimi, maximè homiletici, quos collegere Lipenius in Biblioth. Theol. P. 2. f. 885. Zellerus in vaccâ rufâ, in prefatione, Fabricius in Bibliogr. antiqu. p. 359. 360. Langius in pref. libri jam citato hab. hinc atque Jo. Görlitz Carzovius in introduct. ad libros historicos VI. T. C. 7. p. 134. Addit. quæ nos ad introd. hist. Theol. liter. L. 1. §. 5. dicemus & quæ in prefatione commentationis de Sabbarismo populo Dei expectando ad Hebr. IV. 3. 9. 10. dudum diximus, ubi & fanaticos illos Scriptores allegavimus, qui Theologiam typicam excluere.
- (o) Ex Anglis memorare hic convenit Jerem. Taylorium in Christo revelato & Sam. Martherum in explicacione typorum V. T. Ex Reformatis licet alle-gare Franc. Junium in parallelis facris, Franc. Burmannum in lege & testimonio, h. e. commentario Belgico in Pentateuchum, quem Germanicum fecit Jo. Gern. Meuschenus, Ant. Hullum in nucleo Prophetice V. T. cuius pars prima de vaticinis, altera de typis agit, Lugd. Bar. 1683. 8. Nic. Gürlerum in inst. Theol. C. 18. itemque in systemate Theologiae Prophetice, in aphorismis item Theologiam Propheticam illustrantibus & in vocum typico-Prophetica brevi explicatione, Jo. Brauniūm in selectis facris & de vestitu Sacerdotum Hebreorum, Jo. van der Waejen in variis facris, Salomonem van Til in Salens-vreede, in het Vorhof der Heilenden, in antidoce anti-Janicortiano, in commentario critico-typico de tabernaculo Mosis, in Zoologiâ sacrâ atque opere analytico, Gul. Momiani in economia temporum testamentaria triplice, Henr. Hullum de vallis Prophatarum facris & in figuris temporum, Jo. d' Outrein in libris Belgicis, qui recentur in Biblioth. Brem. Cl. 1. fasc. 2. p. 183. sqq. Jo. Biermannum in Mose & Christo, quem librum Germanicè verit. Contr. Bruske, ipsemet ob varios libellos typicos in classem typophilorum referendus, & in clavi Apocalyptic-Prophetica, Coetherium in pro-theoria de typis, Adrianum Pauli in specim. typicis, Bochartum in hierozico, Herm. Deusingum in demonstratione allegoriz. Historica V. T. in Mose evangelizante & in commentario mystico in Decalogum atque adjectis, Herm. Witnum in Miscellaneis facris, Jo. Georg. Bellersheimum in exercitationibus typico-Propheticis, Antonium Driesen, Theogum hodiè Groninganum in diatribe de principiis Theologiae emblematica, allegorica, typica & Prophetica, Frid. Adolphum Lampe, Theogum hodiè Ultrajectinum in tractatu Germanico de foedore gratiae aque homilis itidem Germanicis, jam & Belgicè veris, Campen, Vitringam passim in operibus suis, Bernh. Sebäst. Cremerum, Theogum hodiè Harderovicen in prodroma typico & Henr. Horchium in Biblis mysticis. Addi debet Taco Haijo van den Honert, Theologus hodiè Leydenus in diff. de Theologia

logiz Propheticz necessitate ejusque perpetuo in Ecclesiâ usu, ut scriptores alios Belgas, qui Belgico idiomate scripsero, & vel maxime Homiletas, neque enim & omnia jam memorie succurrunt, taceamus. Quod restat, absit, ut dicamus, omnes Reformatos arcum Theologiz typica nimis tendere. Constat enim, huc Voëtianos, qui vocantur, maxime à Cocejanis distin-
tire. Unde, que in textu diximus, cum distinctione capienda sunt.

- (p) Historiam Cocejanismi ex nostris dederet Val. Alberti, qui διαλέξει κάπτωσα scriptis de Cocejanismo & Cartesianismo, J. W. Jz-
gerus in Hist. Eccles. & polis. T. 2. f. 237. sqq. Henr. Lud. Benthe-
nius in dem Holland. Kirch- und Schulen-Staat F. 2. C. 3. C. Calverius
in hisuris Sionis L. 17. C. 7. & D. D. Weinmannus noster in Hist. Ec-
cles. N. T. T. 2. 921. sqq. ut libellum istum Rhenferdianum, infra C. 2.
§. 7. sub finem citandum hic taceamus.
- (q) Dicemus hanc in rem quædam infra, ubi bellum illud literarium Joncou-
tianum recensēbimus.

CAPUT PRIMUM

idque THEticum.

I.

Quid *Theologia Typica* sit, ante omnia alia nobis videtus paulò clarius ediscendum esse, ubi utique de variâ vocis *Typus* significacione quædam monenda sunt. Evolverunt candem diligenter fatus GLASSIUS (a) arque SALDEN-
NUS (b), qui conferri possunt. In sacris literis vox
Typus variè sumitur. Ita usurpatur Joh. XX. 25. de vestigio clavorum, Act. VII. 43. de imaginibus idololatriæ, Act. VII. 44. Hebr. VIII. 5. de imagine tabernaculi Mosi in monte Sinai à Deo ostensa, Act. XXIII. 25. de contentis epistolæ, Rom. V. 14. de typo anti-
thetico, Rom. VI. 17. de formâ doctrine, 1. Cor. X. 6. 11. de ex-
emplis, quæ nobis vitanda sunt, Phil. III. 17. 1. Thess. I. 7. 2. Thess.
III. 9. 1. Tim. IV. 12. Tit. II. 7. 1. Pet. V. 3. de exemplis imitan-
dis. Ex quibus omnibus facile est perspici, vocem typi jam nobis non sensu Biblico sed ecclesiastico sumi. Nobis enim *typus* est *imago*
Veteris Testamenti ex intentione Spiritus S. futurum quippiam in
N. T. præfigurans & præsignificans, sine dein *imago* illa sit *factum*
quoddam, sive carmonia, sive persona aut res alia. Ubi paucis mo-
nemus,

nemus, nos nullos typos rerum præteritarum vel præsentium cum aliis (c) statuere.

- (a) in Philol. sacrâ L. 2. P. 1. Tr. 2. sect. 4. art. 1.
- (b) in otis Theologicis L. 2. Exerc. 3. de typorum V. T. usu & abusu §. 3.
sqq. p. 240. sqq.
- (c) Ita sicut JUNILIUS, Episcopus Africanus, qui seculo VI. vixit, de partibus divinae legis L. 2. C. 25. typum definit, quod sit præsentium, aut præteritarum aut futurarum rerum ignotarum per opera, secundum id, quod opera sunt, manifestatio. Sequuntur FLACIUS, ARETIUS, FRANCUS, HUETIUS, quos refutant idem GLASSIUS l. c. art. 2. & SALDENUS idem l. c. §. 7. p. 245.

II.

Typi hâc ratione sumti synonyma in sacris literis sunt I. ονία Col. II. 17. Hebr. VIII. §. X. 1. II. ψειδηγμα Hebr. VIII. §. IX. 23. III. σημεῖον Matth. XII. 39. IV. περιεβολή Hebr. IX. §. XI. 19. V. σωκέτον Gal. IV. 3. 9. Col. II. 8. 20. Correlative voce sunt I. ἀνθρώποι Pet. III. 2. 1. ubi tamen notandum, voce hâc & aliquando θύμον significari Hebr. IX. 24. II. σώμα Col. II. 17. III. ἀληθῶν Hebr. IX. 24. Joh. I. 17. XIV. 6. IV. ἐκπλῆταις Hebr. X. 1. (a)

- (a) Confer TH. GATAKERI adveraria miscellanea posthuma C. 4. f. 434. edit. Wittiana.

III.

Dissent typus ab allegoriâ, sive illa dein sit tropologia, sive ἀναγνώση (a), sive alia quedam, à parabolâ, à signo, à symbolo, à similitudine, ab accommodatione. Allegoria est rei alicujus mysticæ seu spiritualis per aliam in Scripturis narratam repræsentatio, ita tamen comparata, ut hec illius typus haud sit. e. g. Exstat Deut. XXV. 4. non alligabis os bovi tritiranti, id quod 1. Cor. IX. 9. allegoricè transfertur ad ministros Evangelii alendos. Quis autem diceret, boves typum gerere Ministrorum Evangelii? Ita verba Psalm. XIX. §. de creationis operibus loquentia allegoricè ad prædicationem Evangelii referuntur Rom. X. 18. Ita constitutio divina de azymis panibus in falso Paschatis comedendis Ex. XII. 15. 17. allegoricè exponitur de renovatione & sanctificatione piorum 1. Cor. V. 7. 8. id quod ad tropologiam spectat, ubi res aliqua vel factum aliquod allegoricè transfertur

fertur ad mores formandos. Ita denique Jerusalem terrena sensu analogico , qui rem hujus vite ad vitam æternam transfert , repreäsentat Jerusalem illam supernam. Gal. IV. 26. Hebr. XII. 22. Apoc. XXI. 22. Ita & aliud est typus , aliud parabola , qua est narratio rei tanquam gestæ , ad aliud quid , sive id dein doctrinale sit sive morale , significandum. Typus verò ut verè existat , necesse est. Differt verò & iste à signo. Signum enim non semper rem repräsentat & adumbrat sed indicat saltem atque monstrat. Atque sic differt & à symbolo , quod sine signum rem externā quādam specie , licet sine tipo , adumbrans. Similitudinem verò & analogiam longè latius patere ac typum , ipsa vox ostendit (b). Denique accommodatio est applicatio rei alicuius ad aliam sine ullo interveniente sensu mystico ex nudâ quādam verborum vel circumstantiarum congruentia facta. Resulat verò jam ex his accuratio & plenior typi idea.

- (a) Sensus enim tropologicus & analogicus sunt species allegorici , uti egregie jam monitum est à GLASSIO in Philol. sacrâ L. II. P. 1. Tr. 1. fect. 2. art. 1. p. 252. Idem vero de allegoriis , typis & parabolis in laudato libro L. 2. P. 1. Tr. 2. fect. 2. luctuositatime egit. Adde DAN. TILENII synagma dif. Theol. P. 1. disp. 6. p. 35. sqq.
- (b) Vide & SPANHEMII dubia Evangelica P. 2. p. 518.

IV.

Jam Theologia typica illa Theologiae exegeticō-dogmaticā pars est , quā typos Vet. Test. ex Novi Testamenti monumentis , maximē & ex allegationibus (a) dictorum Vet. Testamenti in Novo factis refert & exponit. Quas dum memoramus , non possumus non de sensu Scripturæ sacrae mystico hic quādam effari. Constat , Pontificiis communiter dicam scribi , quād sensus scripturæ varios esse dicuntur atque sensus quoque literales unius dicti varios esse posse afferant. Ita scilicet quidvis ex quovis argui potest , si luxuriandi hic concedatur campus. Eādem ratione dica quoque scribitur Theologis Coccejani , eandem ferè in sententiam descendantibus & sensus , maximē mysticos , allegoricos typicosque miris modis cumulantibus. Unus instar omnium hic in scenam procedat CAMPEGIUS VITRINGA , Vir sāncte doctissimum nec tamen ubique COCCEJI sequax , qui alicubi (a) non saltem plures sensus mysticos sed & , quod mireris , literales unius ejusdemque dicti dari afferit. Quod ipsum eō majori cūm veri specie

specie dici posse videtur , quod tam secunda est Scriptura sanctior , ut ex uno quodam dicto tanquam praestantissimo fonte mare consequentiarum veritatumque insignium totum Theologiae campum per-
vaudentium eruere licet . Nota est illa Hebraorum sententia :

אָנֹכִי אֲפִילוּ אֶחָת שָׁנָן וְרַם גּוֹלָךְ תְּהִינָּה Neunica qui-
dem litera in lege est , a qua non magni montes dependeant . Accedit illa Theologiae Cocceiana regula hermenevitica : Verba Scripturae
tantum valent , quantum valere possunt . Ast , quod postremum quidem attinet , id limitant ipsi Viri doctissimi ajuntque ; tantum saltem valere verba , quantum valere possint pro ratione contextus (c) , ubi dein admitti canon ille potest atque ad applicationem res tota devolvitur . Quid vero sententiam VITRINGÆ attinet , cum id saltem voluisse videatur Vir doctissimus , plures sensus sive literales sive mysticos , partim in uno sensu compoſito , partim mediatis in eodem dicto latitare , qui vel in sensu ejus literalis mox contingantur vel ex eodem per consequentiam erui possint , res utique in vado est . Id si vellent & Pontifici , tota in logomachiam controversia esset degeneratura , maximè si de allegoribus homileticis , quæ utique , nisi jejunæ & contortæ sint , licita sunt , ista intelligerent . Sed hi quidem , ubi variis sensus unius eidemque dicto attingunt , sensus immediatos intelligunt atque exinde Scripturae sacrae obscuritatem affricare conantur , et si & ex illis sint , qui dissentiant rectioreme hic sententiā tramitem amplectantur (d) .

(a) De allegatione dictorum V. T. in Novo præter recentissimum Guil. Surenhufum vide Franc. Junium in parallelis sacris , operum tomo primo , Sal. Gladium in Philol. sacrâ L. 5. Tr. 2. C. 7. p. 1488. Iqq. Mich. Waltherum in centuriâ miscellaneorum Theologicorum p. 295. Iqq. Andr. Kelerum in diss. inaug. de dictorum V. T. in Novo allegatione sub præfido Jo. Mar-
tioris A. 1627. Jena habita & dein ὀλλαγὴ disputacionum Hakspanianarum
p. 563. Iqq. inserta , denique & Jo. Kaiserum in diss. de allegatis V. T. in
N. A. 1702. hic loci præside B. Parente nostro defensâ.

(b) In prefatione ad Henrici Teelmanni commentarium in Caput XVI. Luce. Confer tamen , quæ hic monuit Jo. Clericus dans la Bibliotheque choisie T. 16. art. 6. 342. 394.

(c) Sic enim & nostri sentiunt , quos allegant hic præstantissimus apud Kil-
nienles Theologus HENR. MUHLIUS de zelo ἐν τῇ θρησκείᾳ adversus
Spenerum ejusque amicos p. 178. Iqq. & Theodorus Alerthinus sine JO.
MICHL. GEIUSIS , disertissimus Ecclesiastes Francofurtanus in Parrhasianis
oder

oder den freymüthigen Gedanken von Theologischen Büchern, 1. Stück
n. 1. p. 1. sqq.

(d) Vide post alias GLASSIUM in Philol. Sacra L. 2. P. 1. tr. 2. sect. 1. art. 3.
Can. 2. p. 266. & BUDDEUM in inst. Theol. dogm. p. 164.

V.

Quod nostros Theologos attinet, nemo nescit, affirmare illos, unicum saltē unius ejusdemque dicti Biblici sensum immediatum esse. Iūdō sunt, qui distinctionem inter sensum literalem & mysticum rejiciant, vel saltē illam ajant haud accuratam esse (a). Alii cīstinationem istam stabilunt, sed ita tamen inflectunt, ut dicant sensum mysticum non verborum sed rei per verba significata sensum esse (b). Addunt idem, sensum mysticum à Spiritu S. magis intendi ac literalem (c). Alii totam controversiam felicissimè componi posse existimant, si sensus *compositus* & *plenus* vel *prægnans* dictis illis adscribatur, qui literalem & mysticum aliás secum ferre dicuntur (d). Sunt &, qui haud inficiantur, dari *accommodationem*, quā ipse Spiritus S. subinde dicta ad objectum accommodet, eti illa de hoc literaliter non agant (e). Tota in voce saltē variatio cubat (f).

(a) Conferri hic ante alios meretur ABR. CALOVIUS in syntestate locorum Theologicorum T. 1. p. 63. sqq. Quod ipsum dum scribimus, non retinenda nobis hic est GILL. WHISTONI sententia, quam in Collectione vaticiniorum Scriptura Anglicana ad calcem commentationis in Apocalypsin positā defendit. Existimat hic, unicum saltē esse Scriptura sacra sensum nec posse esse duplē, literalem & mysticum, additque, sylbum Prophetarum non semper cohædere sed frequentissime interrupi, ita ut in hoc versiculo de hoc subiecto, in alio de alio sermo sit, id quod utique necessum habet dicere, hanc qui sententiam tenet. Existibilium miram hanc opinionem SAM. WHITE in a commentary on the Prophet Isaiah, in quo maximē GROTIUM fecutus est, ad Jel. VII. 14. & J. CLERICUS in Bibli chois. T. 23. P. 2. p. 426. sqq. qui & GROTIUM defendit aitque, illum, licet vaticinium de Christo agentia quoad sensum literalem de aliis personis ad istam etatem spectantibus explicaverit, tamen in sensu sublimiore & mystico ea ad Christum spectare, semper existimasse.

(b) Confer GLASSIUM in Philol. Sacra L. 2. P. 1. tract. 2. sect. 2. p. 189. Hunc sequuntur ferē omnes.

(c) Vide GLASSIUM l. c.

(d) Vide J. A. SCHERZERI syr. Theol. loco I. §. 24. p. 25. Orationem *confundam* vocat vocemque *unam* quidem actu sed virtute *duplicem* taretur significatimumque adeo unius vocis in eodem texu *duplicem* esse affirmat idem CALOVIUS l. c. p. 699. Ast vide hic prorsus Christiani Bibliophili five

JO.

JO. GEORGII UNKAUFFII, Superintendens hodie Gunzenhusani opusculum exegicum de fecunditate sensu in S. Scriptura p. 4. & pallium, & H. MUL-
LII jam nobis celebrati discussionem controversiae inter Limborchium &
Vitringam de sensu Scriptura mystico agitare C. 3. §. 5. p. 49. sqq.

- trum de iusto intercessione. *Exst* THEODORICI HACKSPANII disputatione de accommodatione Phontianum opposita in disputationum syllologe p. 417. lqg. Sed notandum, Hackspanium inter accommodationem *rectam* & *vito* haud male distinguere. Ipse enim subinde accommodationem admittit. Videntes ipsum Philologico-Theologicas P. 2. p. 1. 1. 263. 671. 736. Accedit GLASSIUS in Philologica L. 5. tr. 2. C. 7. p. 1469. 1470. & SPANHEMUS in dubius Evang. P. 2. p. 522. ino & QUENSTEDIUS in fyst. Theol. P. 1. & 2. C. 4. feb. 2. qu. 17. f. 130. atque CALOVUS I. c. p. 664. & PEIFFERUS in Critica facr. C. 5. sect. 2. qu. z. p. 168. Accommodatio vero hac, que hilice approbatur, est accommodatio ab ipso Spiritu S. facta & intenta, non humana, non ad hominem facta, quam saltem admittere videntur GROTIUS & CLERICUS, qui praeferunt sensum literalem & mysticum admittunt, sed ita admittunt, ut in accommodationem latente sit evagatio factam degenerare videatur. Quae utique accommodatio nostris scandalis est. Vide illum ad Matth. I. 22. XXVI. 31. XXVII. 9. & postlim, hunc in Biblioth. choisie T. 16. p. 347. T. 83. P. 2. p. 433. 434. T. 25. p. 2. p. 413. T. 27. P. 2. p. 410. 411. itemque in Biblioth. anc. & mod. T. 16. p. 361. 362. & maxime in notis ad Hammundum ad Matth. II. 2. 15. & Gal. IV. 25. Jam autem ad illam CLERICI sententiam stabilidam datur opera GUIL. SURENHUSIUS, Hebraicarum & Grecarum literarum Professoris hodie Amstelodamensis celebrissimus scripsit ר' יתבשׁוּר live בְּבָאוּנָה גִּילָאֵן, in quo secundum veterum Theologorum Hebraeorum formulas allegandi & modos interpretandi conciliantur loca ex V. in N. T. allegata Amtst. 1713. 4. Quae vero VITRINGA, in pref. in Jesaja f. 12. contra LIMBORCHII prefat, in Acta Apostol. disputationi atque & contra Bibliothecam selectam monuit, dilire conatus est CLERICUS in Bibl. chois. T. 27. p. 408. lqg. Digna sunt hec omnia, que, ut plenior rerum notitia te haud fugiat, legas, lector. Script & hic controversia illa de sensu literali & mystico, qua RICH. SIMONIUS cum J. B. BOSSUETO, Episcopo Meldensi intercessit. Existimaverat quippe SIMON, dicta ex V. T. in Novo allegata esse falem allegata ad hominem, ad imitationem תַּאֲגִיד five commentatorum allegoricorum Iudacorum, & hanc solam esse rationem salvandorum allegations itas, aliqui haud defendunt. Vide ipsius histio critique du N. T. Ch. 21. p. 244. lqg. Hanc SIMONIS sententiam aggregetur εβ' BOSSUETUS in prefatione secunda instructionis pastoralis, quam Gallico idiomate edidit contra Gallicanum N. T. verisonem a SIMONE factam. Defendit dein hic sententiam suam in lettres choisies T. 3. lettere 26. 27. ubi ait, se credere, quod & sensus mysticus ex intentione Spiritus S. fuerat & demonstrandi vim habeat, mirumque esse, quod BOSSUETUS di-

stinctionem illam inter sensum literalem & mysticum rejiciat. Sed reje-
rat saltem illam in sensu Grotii & Simonis BOSSHETUS, resorberque ita sen-
tentiam suam SIMON, uti benè observant Mem. de Trev. 1797. p. 935.
936. Addo Bibliotheque Critique de Mr. de Sainjore, qui est R. Simon, T. 4.
lettre 48. 49. 50. p. 494. sqq. Imo spectat & hue bellum istud literarum
SAM. MASSONI, Anglicani Ecclesie Dordracenæ Ministri, & DAV.
MARTINI, Ecclesie Réformata Gallica Ultrajectina nuper Pastoris, ubi
ille quidem, CALVINI sententiam fecutus Psalmi CX. sensum literalem de
solo Davide explicavit nec nisi per accommodationem, quam sensum mysti-
cum appellat, ad Christum trahi posse afferuit, hic in contraria omnia
ivit, Synodis quoque MASSONI sententiam improbanibus. Vide Histo-
re critique de la République des lettres T. 1. 2. 3. 6. 8. 10. & Journal littéraire T. 8. p. 82. sqq. Ast nimis cumulamus hic. Qui plio-
res crateras anhelaverit, aedate celeberrimi BUDDEI instit. Theol. dogm.
p. 158. sqq.

(f) Vide ANDR. RIVETUM in Isagoge ad Scripturam sacram C. 15. ubi de sen-
su literali & mystico egregie agit, §. 5. f. 934. a. Idem C. 16. & de ac-
commodatione, quem vocant, Scriptura sensu differit plenius. Ope-
rum T. 2.

VI.

Jam vero illa loca Biblica, quoies sensus literalis & mysticus in-
esse exultinatur, præcipua ferè sunt, ex quibus typos eras. Sunt
vero & alia plurima eaque generalia, ex quibus arguas, totam istam
economiam V. T. fuisse typicam. Vide 1. Cor. X. 1. sqq. Gal. IV.
22. sqq. Col. II. 17. Hebr. IX. & X. 1. Pet. III. 21. Quod locum
primum spectat, eundem nihil typici fundere sed meram continere al-
lusionem & accommodationem ait Vir doctissimus JO. CLERICUS (a).
Idem & ille monet ad secundum textum atque, Paulum ibi disputare
ad hominem & proferre ὥν & allegoriam quandam Judaicam, ad pa-
latum Judæorum efficit, nullum typum (b). Locum tertium
eludere conatur JO. SPENCERUS, afferens, *nomeniam, Sabau-
tum & cetera legis instituta*, de quibus ibi differat Paulus, *meram
umbram, fumum & nihil dici, si cum Christo & illa verum solidi-
tate, quas introduxit ipse, comparentur* (c). Ex postremis locis
addit CLERICUS, nudam similitudinem exculpi posse, nudam com-
parisonem, quam inter res V. & N. T. institutæ epistolæ ad Hebreos
Auctor (d). Ita dein & reliqua loca, è quibus typi probantur, in
meras allegorias, in mera similia vertit. Vir doctus, atque ad Judæo-
rum

rum interpretandi modum allegoricum *οὐγατεβαινεν* Scriptores sacerdos sic existimat, non quod arbitrati fuerint illi, se solida arguenda & ad convictionem facientia hic proponere. His vero jam sequentia haud sine ratione opponimus I. Magnum videtur periculum creari demonstrationibus atque assertionibus Apostolicis, immo ipsius Christi, si maxima illorum pars saltem ad hominem & juxta erroneum & ineptum Judaeorum & Allegoriarum h. e. *ονσηνι*, qui inter ipsos erant, modum effecta & elata esse existimerur. Non est ullo modo probabile, sanctissimos Viros usos suffit istis ad probandam dilucidandamque Evangelicam doctrinam ineptis, queis præstantissima quævis argumenta in promtu erant. II. Non est, quod existimemus, meras similitudines voluisse efftere Viros sanctos, ubi de typis istis differunt. Mera similitudina tantopere haud cumulantur. Illa typorum multitudine emphasis quandam secum vehit, quæ è nudâ similitudine effluere nescit. III. Claram est, *ονιας* illam, quæ in locis illis memoratur, esse *ονιας* & *ονιας της εκενης* *των ονιαγματων*, hoc est, *figuram corporis*, & quidem ex ipsa Spiritu S. determinatione. Habemus ergo jam typum. IV. Petra illa, quæ Christus dicitur, fuit illa perra, e qua biberunt iam Israelite Vet. Testamenti, ubi biberunt de aquâ illâ ex petra à Moze percussâ manante. Hæc sine tipo explicari nequeunt. Nuda certè similitudo non sufficit, quam ponit Vir celeberrimus: *ut petra aquas omnes ex aquo biberunt nec eò fecerunt rebellis in deserto perierunt, ita, cum omnes doctrinâ Christi aquâ illustrerentur, quicunque ad ejus normam vitam non exigent, peribunt.* Quæ ipsa eapropter stare nequeunt, quod Israelite dicuntur de petra Christi bibisse, id quod in typo utique factum est. V. Quæ in epistola ad Hebraeos exstant, si, prout in connexione jacent, spectentur, suâ sponte hanc nobis veritatem infundent: *Vetus Testamentum, cubitus Leviticus, sacrificia vetera adumbrarunt N. T. & sacrificium Corporis Christi, hoc iaque ubi jam adeat, opus est, ut cesseret umbra & disparet.* Hic sensus cuivis legenti mox in mentem labitur. Alter vero ille, qui typum enervat, lectori sanè mox videbitur illatus & fictus. Sed de his jam fatis egimus.

(a) In notis ad Hammondum 1. Cor. X. 4.
B 3

(b)

- (b) Ibidem ad locum illum.
- (c) Vide, quid hic ait SPENCERUS: *Hac Apostoli verba, sensu non sensa capti sententiae passim recepte locum fecerunt, quid nempe ritus omnes Moysae rerum nostrarum umbra & figura essent & mysterium aliquod Christianum ritui aliqui Iudeo tempore ex adverso responderet. Atque hac imaginatio Virorum cetera doctrinam libros & sermones toni nugis & notionibus male cotius implevit, Dei legem in nosum quasi circum in qua libet formas ducendum convertit, & in causa fuit, quod ita se gerant aliqui, quasi Evangelium in Pentateuchum scriptis Apostolorum citius & apertius inveniendum existimarent.* At hoc Apostoli verba si diligenter expanderentur, nullum huic opinione patrocinium prebent. Nam vox *OTIUS*, cui corpus est regione respondet, non relativa sed comparative & per modum oppositionis intelligenda est. Quasi dixisset: cibos & potus, novilunia, sabbata & religio circa legis ritus & solemnitates externas occupata mere sunt umbra, res nec solida nec duratura. At Christus eiusque religio corpus est, hoc est, res solida & perpetua. Quod ipsum sane ubi fatem legit lector, quam contortum sit, mox ille videt. Sed pergit noster: *Hunc esse verborum sensum inde constare potest quid apostolus et in loco non tantum de Iudeorum festis & sabbatis sed & Pythagoraeorum abstinentia a carne & vino, tanquam rebus ejusdem virtutis & momenti sermonem infinitat. At certum est, neminem unquam Pythagoraeorum ritus umbras b. e. rerum celestium typos & imitamina sed vanitas & res omni viritate cassas habuisse.* Ita file de leg. Hebr. ritual. L. i. C. 11. sect. 2. p. 160. Alt errat Vir doctus, ubi arbitratur, ad Pythagoraeos hic respiciat, id quod ante ipsum GROTIUS jam dixerat. Egregie contra hunc CALOVII in Biblio illustrissim ad h. l. f. 827. *Discrimen iufud ciborum & potis aquae Iudaizantes respicit, quale quoad cibos Lev. XI. quoad Nazaraeorum abstinentiam a vita Num. VI. traditum, ac feriarum necessitas.* Hoc CALOVII.
- (d) Vide notas ipsius ad Hammondum, ad ista loca.

VII.

Certum itaque jam esto, dari typos, atque vetus Testamentum cultumque ipsius & sacrificia ex instituto divino præfigurasse N. T. ac sacrificium illud Salvatoris O. M. in quo salus nostra jacet. Ast, ita sis, licebit ergo, quicquid ad V. T. pertinet, in typos vertere ad typum eorum typorum, qui in N. T. expressè nominantur, cum lex in genere sit futurorum umbra. Non existimaverim. Certè enim cauto pede hic incedendum est. Et valet hic proverbium commune: NE QUID NIMIS. Qui Canones de typis nostre voluerit, aedat GLASSIUM (a) DANNHAWERUM (b), ASFELDIUM (c), HEIDEGGERUM (d), WITSIUM (e), CLAUDIUM (f), SAL-

DE-

DENUM (g), LIMBURGIUM (h), CREMERUM (i), ut alios (k) rēceāmus. Scilicet quidlibet hīc audēndi æqua potestas nobis haud data est. Dicēmus autem mox, quānam via, regia illa & inter Scyllam & Charybdin media, hīc calcanda nobis & ineunda sit.

- (a) In Philol. sacrā L. 2. P. 1. tr. 2. sect. 4. art. 7. Hic novē canones ponit, quos & explicat. Sed agunt illi magis de typis constitutis, quam constituendis.
- (b) Confer omnino ideam boni interpretis, quam Theologus hīc Argentinensis edidit, p. 238. sqq. Duos vero saltēt illē canones habet. I. *Omnis typica explicatio vel nulla vel ad minimum incerta est*, quam se intendisse dīvīnus Autor nūspīam exp̄ēſit. II. *Typi & antitypi collatio non est secundum omnes partes & circumstantias instituenda sed secundum ea saltēt*, que ipse Autor se intendisse testatur. Plus *st̄p̄ est in typo quam antitypo et minus, ac vice versa*. Quē omnia exemplis Theologus prætantissimus declarat.
- (c) Celeberrimus hic Theologus Sorbonicus, unus ex illis, qui & ob zelum contra Constitutionem *Unigenitus* passi sunt, edidit fine nomine suo Regles pour l' intelligence des Ecritures saintes à Paris 1717. 12. Canones illi huic spectantes referuntur in Mem. de Trevoux 1707. p. 1034. sqq.
- (d) In Corpore Theologiae T. 1. f. 485. 486.
- (e) In Oecon. Feed. Dei L. 4. c. 6. §. 7. sqq. Hic prætantissima quævis habentur.
- (f) Dans les Œuvres posthumes, quæ Amst. 1688. 8. prodire T. 2. L. 2. Excerptas istas regulas inventire est in Biblioth. Univ. T. 9. p. 494. 495. Et hæc egregia prouis sunt.
- (g) In exercit. de typorum V. T. usū & abusu sect. 2. §. 4. sqq.
- (h) In Theol. Chrīt. L. 3. C. 9. §. 11. f. 210. 211.
- (i) In dissertatione de typorum usū & abusu, quæ præmissa est prodromo ipsius typico. Sed hic Scriptor jam nimis in cumulandis typis est eaque regulas ponit, quas diii viii approbaverint.
- (k) Ex veteribus e. g. hic velim evolvi GOMARUM in operibus passim, ut ex indice liquet in voce *typi*, plurimisque aliis, qui sparsim hic cauetas in Theologia typicā obſervandas dedere.

VIII.

Itaque ergo hos hos Theologiae Typicæ recte conformanda canones ponimus. I. In typis determinandis ingenio luxurianti freна lāxanda haud sunt, nec ulli determinandi typi, quos Scriptura sacra haud determinat vel qui ex analogiâ Scripture manifestissime haud sequuntur. II. Magna porrō inter illos & hos facienda est distinctio. Illi certitudinem habent comitem, hi probabili saltēt conjecturā nituntur. Non itaque nimis urgendi sunt. III. Nuda similitudo, imò nec

nec allegoria Scripturaria nuda typum facit. IV. Non opus est, ut typus ex toto corresponeat antitypo nec antitypus typus. Sufficit, si in uno tertio convenient. Tertium autem illud in antitypo semper præstantius est & sublimius. V. Hinc non accumulandæ sunt nimiaæ typi & antitypi comparationes. Arcus nimis intensus rumpitur. VI. Etenim in typo tenuis aliquando saltem antitypi imago est. VII. Nil impedit, quod minus unus idemque typus repræsentet plures antitypos & unus idemque antitypus repræsentetur per plures typos. VIII. Dantur & typi intermedii, qui & typorum antitypi sunt & antityporum typi. IX. Quando vel typus antitypi, vel antitypus typi nomen in Scripturā S. gerit, de typi certitudine non est dubitandum. X. Typi non in minutis sed in rebus magnis querendi sunt. XI. Haud malè in genere dicitur, economiam legalem V. T. typicam habere rationem, temporales promissiones spiritualia bona adumbrare & magnos illos Reipublicæ Judaicæ veteris Viros typum Christi gessisse, quotunque characteres gerunt, qui augustiores sunt, quam ut in ipsis plenè quadrant, vel qui præcipuum quandam cum Christo ~~magistris~~ habent. XII. Sunt tamen, uti jam innuimus, typorum gradus. Ita sunt typi extra omnem dubitationis aleam politi, innati illi, alii saltem typi analogici & homiletici, alii proorsus ἀγελφοι & illati, ubi sollicitum rebus judicium adhibendum est. XIII. Præter rationem typicam involvunt & sacrificia V. T. cultusque Leviticus symbolum præstantissimum, quod mysterium conversionis & sanctificationis nostræ & Christianismum internum, asceticum illum, adumbrat, à Spiritu S. directè intentum. Sed aliud est *symbolum*, aliud *typus*, uti infra dicemus. Hæ omnia verò prolixius olim diducemus, quando ampliori hujus argumenti tractationi calatum commodabimus.

IX.

Nunc ad divisiones typorum varias calatum promovemus. Distinctionem typorum in innatos, analogicos & illatos jam dedimus, item distinctionem typorum in simplices & compositos, ex quibus hi plures antitypos sibi correspondentes habent. Ita typi sunt vel naturales, vel legales, vel historici. Exemplum typi naturalis præbet nobis mundi hominisque creatio, novæ creationis & restitutionis per Chri-

Christum factæ typus analogicus (a). Legales typi in ceremoniis cultūs Levitici latent. Historicos typos pañim invenire est in Patriarchis V. T. qui Christum typicè adumbrarunt. Ita & plurima facta sunt V. T. quæ res N. T. adumbrant. Unde typi historici sunt vel personales vel reales, personarum vel factorum, ad quæ & visiones & somnia & facta Propheticō-typica pertinent. Ita & dantur typi totales & partiales. Ita dantur & typi consentanei & dissentanei (b). Imò dantur & aliae typorum divisiones à GLASSIO (c) maximè allegatae.

- (a) Distinctionem typorum in naturales, historicos & legales dedit LUD. CAPELLUS ad Gen. II. 4. §. 6. Opp. f. 306. & ex eo WITSIUS in *œcon. fœd. Dei* L. IV. C. 6. §. 12. sqq.
- (b) Exemplum in Adamo habemus. En GERHARDUM : *Adamus & Christus tunc τοπικῶς & modo consentaneo, iam ἀνθελκός & modo dissentaneo sibi invicem opponuntur. Rom. V. 12. 1. Cor. XV. 21. sqq. Collatio instituitur inter Christum & Adamum ante lapsum, oppositio inter Christum & Adamum post lapsum.* Vide exegesim tomu priuī loc. Theol. L. IV. C. 3. §. 29. f. 409.
- (c) In Philol. sacra L. 2. P. 1. Tr. 2. scđ. 4. art. 2. 3. 4. 5. 6.

X.

Jam paucis tangemus Autores, qui typos V. T. recensuerunt. Etsi enim labore supercedere possemus, qui jam prolixum satis Typophilorum catalogum in antecessione in chartam jecimus, licebit tamen hīc quosdam feligere. Velimus autem, ut lector consulat hīc specimini saltem loco JO. GERHARDUM (a), SAL. GLASSIUM (b), P. D. HUETIUM (c), JOACH. LANGIUM (d), JO. LUNDIUM (e), HERM. WITSIUM (f), HENR. HULSIUM (g) & NIC. GÜRTLERUM (h). Nolumus hic plures cumulare, cùm hi sitim resiliuant satis.

- (a) Videl. c. §. 28. sqq. f. 409. 410. Addi post autores supra ex multis nominis potest Josua Stegmannus in *Christognosia*, ubi & variū typi Christi recensentur.
- (b) In Philol. sacrā l. c.
- (c) In *demonstr. Evangelicā Prop.* IX. C. 170.
- (d) In *præstantissimo libro, quo luculentior in systematico scriptioris typicæ generi vix existat, qui titulum fert: Mysterium Christi ac Christianismi in sacrificiis typicis anti-*

antiquitatum Biblicarum V. T. Halz Saxonum 1717. 4. Sed hic quidem typi legales faltem excutuntur.

- (e) In den Jüdischen Heilthümern. Nova nuper demum editio Hamburgi prodit. Sed & hic typos faltem legales invenire est.
- (f) In Oeconomia fœderum Dei L. 4. C. 6. & in Miscell. sacris T. 1. L. 2. diff. 1. & 2. de tabernaculi Leviticis mysteriis & de Sacerdotio Aaronis & Christi.
- (g) In figuris temporum, quæ adjectæ sunt libro de vallis Prophetatum sacris.
- (h) In institut. Theol. C. 18.

XI.

An typi jam exsisterint in Paradiso? queritur. Etenim sunt, qui arbore vitæ typum Christi, qui matrimonii institutionem typum conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, qui Sabbatum Sabbathi olim in ecclesi agendi, qui Paradisum tunc Ecclesiæ tunc vitæ æternae typum esse dicitent. Imò & Adamus, à nostris quoque, inter typos Christi referuntur. Quamvis verò vix capi possit, quâ ratione status integritatis typus status restituti dici queat, nisi necessitatem lapsi supponas, sunt tamen potiora, quæ suadeant, ut typos illos haud gravem admittas. Qui & Adamus Christi typus exsisterit, modo edisserimus. Confer, si placet, hic GUIL. SALDENUS (a).

- (a) in otiis Theologicis L. 2. exerc. 3. sect. 3. §. 4. 5. 6. p. 280. sqq.

XII.

Quæri & videas: num in Novo adhuc Testamento typi dentur, futura adumbrantes? Ita omnino existimamus. Sic excidium Hierosolymitanum est typus iudicij extremi. Sic & epistola illæ apocalypticæ creduntur esse Propheticæ Ecclesiæque illæ rationem habere typicam (a). Alios ejusmodi typos jam datâ operâ tacemus, olim à nobis preferendos. Conferri hic iterum potest SALDENUS (b).

- (a) Vide hic omnino HERM. WITSIUM in miscell. sacris T. 1. L. 3. ubi haberur diatribæ de septem epistolarum Apocalypticarum sensu historico, an Prophetico. Certè & Propheticum illarum sensum apud nos defendit vir celebrissimus JO. WILH. PETERSENUS atque JO. ELEONORA PETERSENIA in commentatione Germanica in Apocalypsin. Idem ille & parabolæ Matth. XIII. occurrentes propheticæ de septem N. T. periodis explicat in *Commentatione apocalypticæ T. 1. P. 2. n. 63. f. 53. sqq.*
- (b) l. c. sect. 3. §. 10. 11. p. 287. sqq.

XIII.

Denique & hoc paucis querimus: Num & impii typi fuerint?

Num

Num dentur peccata typica? Num Sodoma, Aegyptus, Tyrus & Babylon sint typi Antichristianismi? Num Antiochus Epiphanes sit typus Antichristi? Atque ita sane arbitrari videmus Viros doctissimos, nec sine ratione. Vide GLASSIUM (a), HULSIUM (b), SALDENUM (c), JURIÆUM (d), BUDDEUM (e). Adde his JO. EUSEBIUM NIEREMBERGIUM (f). Elegans est hoc argumentum, quod jam diducere possemus. Sed non patitur brevitas hæc nostra, cui nos addiximus, ut calamo huic nostro frena laxemus. Exspectat enim eundem secundum adhuc commentationis hujus caput, quod non minus fecundum esse lector mox perspiciet.

- (a) In Philol. sacrâ L. 2. P. 1. sect. 4. art. 7. can. 7.
- (b) in figuris temporum p. 470. sqq.
- (c) l. c. §. 7. sqq. p. 283. sqq.
- (d) Edidit hic abisque adiecto nomine suo histoire critique des dogmes & des cultes de l'Eglise Amstel. 1704. 4. cum supplemento aduersus Cuperum ibidem 1705. 4. Ibi P. 1. chap. XI. p. 74. sqq. agitur des pechez typiques & de la reprobation typique des anciens.
- (e) in exercitatione Theologica de peccatis typicis, quæ Jenz A. 1706. pridicit. Elegantissima hæc dissertatio est, qua Theologia Typica haud parvam sanè lucem affundit.
- (f) de origine S. Scripturae L. 7. C. 17. ubi discutuntur, num impii aliquando typum & figuram Christi gestirent? Jam & in calamum hunc nobis labitur GÉORGIIUS MOEBIUS de suis penitentia, Christi typis, sel. disp. Theol. p. 952. sqq. & C. VITRINGA in obs. facr. L. 2. C. 12. ubi idem argumentum excluditur. Imo eosque vadit VITRINGA, ut statut, Melliam crucifixum representasse diabolum spiritualiter crucifixum, C. 13. in fine. At de impiis typis & de peccatis typicis omnes ii conferri possunt, qui arcum typicum nimis intendunt & in holibus Ecclesiæ V. T. Antichristum, in Prophetis falsis ejusdem hunc & hereticos N. T. videre se ubiquè putant.

CAPUT SECUNDUM idque POLEMICUM.

I.

Supra innuimus, in Theologiâ Typicâ vitandam esse Scyllam, vitandam & Charybdi. Media hæc via nobis placet, quæ regia est. Non cumulandi præter rem typi sunt, ast nec tollendi plancunt. Fugienda igitur hæc sunt duo extrema, excessus & defectus.

C 2

Ajunt,

Ajunt , in excessu peccare Theologos illos , qui JO. COCCEJUM sequuntur , in defectu peccare autem Socinianos . Remonstrantes , MARSHAMUM , SPENCERUM , JONCOURTIUM , POIRETUM . Hos verò dum illis jungimus , nolimus , ut quis existimat , velle nos hisce malum quoddam nomen affricare . Sine enim partium studio , nullo odio affectu ducti scribimus .

II.

Quod JO. COCCEJUM attinet , interpretem Scripturæ sacræ celeberrimum eumque doctissimum ; constat , ubique illum typos & allegorias venatum esse septemque suas Ecclesiæ periodos ubique invenisse . Secuti ipsum sunt discipuli , qui partim Magistro parciores in dandis typos sunt , partim in numero eorum colligendo illum longè superant , atque in Theologiâ & typicâ & allegorica (a) & parabolica miris modis luxuriant . Etsi autem existimemus , minus peccare eos , qui typos præter rem accumulant quam qui eosdem proflus tollunt (b) , atque hoc Ver. Test. Evangelium , (hoc enim sub ipsis typis latuit & per traditionem oralem (c) propagatum esse dicitur ,) proflus expungunt , melius tamen esse existimamus , si

sit modus in rebus , sit certi denique fines ,

quicis Theologia nostra typica coeretur , ne nimis luxuriet .

(a) Præter Theologos Coccejanos & huc quam maximè notandus venit TH. BURNETUS , qui historiam creationis in meram allegoriam vertit in Archæol. Philos. L. 2. C. 7. sqq. Refutavit illum Autor anonymus in Mole vindicatio C. 7. p. 136. Iqq. cum aliis . Ita & historiam lapsus allegoricâ explicavit MAIMONIDES cum aliis Rabbini , imo & ex parte ABARBENEL , qui verò reliquos refutat cum nostris , maximè RIVINO in proemio de serpente , antiquo illo seductore .

(b) Ita rectè WITSIUS in Oecon. Feed. Dei L. IV. C. 6. §. 8. Verba sunt : *Licet modus in rebus sit , tolerabilius cum peccare existimet , qui Christum se videre arbitratur , ubi fortasse non ostentat , quam qui eum videre renuit , ubi se clare fatis offerit . Alterum enim indicium est animi Christum diligenter plurimumque & vel minima vel fortasse nullâ data occasione de cogitante : alterum signum animum arguit est qui tardus ad credendum sit . Qualis se in Socinianis & Magno ceteroquin Grotio prodit , plura paſsim ita torquentibus , ut nihil cum Christo commune habere videantur . Sattem itaque hoc statuit & WITSIUS , peccare & eos , qui in typis luxurient .*

(c) Nihil hic , lector , Pontifici latet . Sensus enim mysticus in texu latitat .

Et

Et hanc sanè sententiam tenuere Theologi ἐφῆδος/ος laude clarissimi, quos allegat WOLEFIUS, qui & ipse suum illis adjicit calculum. Vide Bibl. Hebr. p. 2. p. 1197. sqq. ubi & quod mireris, ἐπόψηνΦορ sibi citat celeb. CLERICUM, qui vero istam traditionem haud divinam sed faltem à docto-ribus excogitatum putat. Majori jure allegri poterat JO. SPENCERUS. Ita' vero illi habet: *Nec vana profus est opinio, multa Legis arcana & mirabilia per Cabalam quandam à Moysi usque sculo transmissam & inter Viros plurimum aitoris subfelli conservatam Iudeis antiquioribus immotuisse.* L. 1. de leg. Hebr. rit. C. XI. sect. 3. p. 164.

III.

Excessum istum Virorum doctissimorum sunt, qui plurimum carpant. Non allegabimus jam bella illa intestina inter ipsos Theologos Belgas eosque Reformatos hanc ob rem orta. En, quid ajat SPENCERUS, naso adunco Theologiam illam luxuriantem sic suspen-dens: *Sociniani & Iudae moderni omnia legis mysteria & sensus latentes, Messiam præcipue spectantes, tanquam similitudines coacta & lusus phantasie resquunt & aspernantur.* Multi autem in vitium plane contrarium currunt & in fingendis allegoriis sibi quidlibet permittunt, totam legem perpetuis mysteriis & allegoriis gravidam existimantes. Nam philosophandi materiam ex ipsis arca vestibus, annulis & dimen-sione sumunt, in quibus tabernacula uncino & laqueolo arcanum aliquod olfacient acute narie homines, & nullum quantumvis minutum legis apicem prætereunt, cui non allegoricum, forsitan & anagogicum sensum assuant. Quis autem, cui cerebri suspectis unciola, sibi persuaderet potest, Deum ritus tam multis & multiformes ad paucis & simplicia Christianismi mysteria representanda statuisse? vel siis umbris & figuris ad res Evangelicas adumbrandas uti voluisse, que iam obscuræ sunt & incerti sensus, quid nemo repertus sit adhuc, qui earum sensa mystica certâ ratione resignare potuerit? Deinde sunt instituta & ritus Mo-saici non pauci, (quod Artemidorus de Jonniis quibusdam dixit,) Ἐγέδη ηγε ὥστες τὸν ἔχοντα λαβάσ, aridi & quasi anfas non haben-tres. Quid enim mysterii suberat illi legis præceptio, ut aves immolande intestina & pluma ad altaris latius orientale sollemmodo rejicerentur? Lev. VII. 13. Quid arcani significandum erat, quid Nazarei crines sub lebete ad carnes immolatas coquendas comparato comburendi Num.

C 3

VI.

VI. 16. ponentur? &c. Hæc SPENCERUS (a). SPENCERO adiungimus PHIL. LIMBURGIUM, cuius hæc habentur verba: *Quis credidisset, semel illâ allegorizandi prærigine reiectâ, quæ Scriptura tanquam regulâ Lessbiâ ac cæro nafso abiuitur, & ubi cuivis homini oris quavis somnia, cujusque ingenio, indoli ac temperamento, quin & opinionibus, quibus imbutus est, accommodata pro diuinis oraculis venditandi ansa datur, eandem dennò in Ecclesiam Reformatam invecti & maximo pluriū applausu recipi ac prævalere potuisse.* Non temerè monet Sixtinus Amama in suo Antabarbaro Biblico (b) Candidatos Theologia, ut sibi ab ejusmodi allegoriis caveant, nec vanam esse ejus rationem, quâ monitionem suam adserit, si hæc concionandi & sacras literas explicandi ratio una cum Theologiâ Scholastica denuo irreperitur, posteriora longè pejora fore prioribus, eventus docuit. Rejiciunt quidem nomina allegoria sed ipsa nihilominus sub alio nomine retinetur, & sensus, qui merâ constat allegoriâ, literalis Scriptura sensus appellatur, amplâ ac latissimâ interpretandi excogitatiâ clave: verba Scriptura hoc omne significare, quod significare possunt. Verum equidem est, ne illius absurditas primo statim ajetur se prodat, restrictionem quandam addi soleri, quod hoc intelligendum sit de verbis textus originalis Deut. 10:5 acque iis non separatum sumptu sed prout in contextu integro occurunt. Altamen praxis ostendit, hujus restrictionis exiguum haberi rationem & unumquemque sub prætextu sensus literalis quavis per vanam imaginationem commenta effingendi, non minorem, si non maiorem, quam unquam Pontifices per allegoriâ, licentiam sibi arrogare & tanquam genuinum Scriptura S. sensum magnâ cum confidentiâ alias obtrudere. Inde enatæ tot applicationes singularium, etiam minutissimarum particularum tabernaculi & templi, vestimentorum pontificalium & diversarum non tantum victimarum & oblationum sed & circumstantiarum in singulis prescriptiarum applicationes ad Ecclesiam N. T. &, quid per singula significetur, sollicita investigatio & temeraria determinatio. Singula fermè V. T. historia mystrium in Christo ejusque Ecclesiâ manifestandum in se continere creduntur: adeò ut exigna quedam illius particula, tanquam eximum quedam ac arcanum gospylacium omnium in Ecclesiâ Christianâ juxta septem

septem diversas illius periodos ejusque in unaquaque periodo status ac conditionis eventuum vaticinium in se conclusum habeat. Hæc LIMBURGIUS (c), qui cæteroqui typos Biblicos innatos haud rejicit. Eandem in sententiam fatur JO. CLERICUS, qui & , ut supra vidi-
mus (d), existimat , Apostolorum interpretationes typicas saltem ad hominem factas fuisse (e). Nec minus Jesuitæ Parisienses , qui recen-
siones literarias , Trivoltii quæ eduntur , componunt , in methodo illâ Coccejanâ inveniunt , quod vituperent. Explicant mentem suam
tum , ubi Jo. Cocceji opera anecdota (f) , tum , ubi Salomonis van
Til commentarium de tabernaculo Mosis & Zoologiam sacram recen-
sent (g). Nostrarium de Coccejanâ Scripturam S. interpretandi ratio-
ne illiusque excessibus typicis sententiam enarrare non opus est (h).

- (a) l. c. seç. 2. p. 159.
- (b) p. 161. Ceterum maxime opusq[ue] sibi in antecedentibus LIMBURGIUS allegat CALVINUM & AMAMAM , qui posterior in anti-barbaro Biblico L. I. p. 158. sqq. egregie de sensu literali & mystico hujusque abuso agit.
- (c) in pref. ad Acta Apost.
- (d) p. 11. sqq.
- (e) Confer Biblioth. choisie T. 16. art. 6.
- (f) Vide Mem. de Trev. 1710. Mars. art. 32. p. 369. sqq.
- (g) Confer Mem. de Trev. 1716. Fevr. art. 10. p. 209. sqq.
- (h) Ut vero in typis cumulandis nimis sunt subinde interpres illi , ita & in vaticiniorum complementis iisque specialissimis modum excedere videntur. Documento nobis esse potest sola NIC. GURTLEI Theologica Prophætica , cuius systema Amfeldodami 1702. 4. prodidit , unde exempla jam conglomerare facile foret. Que & ex COCCEJI commentariis nullo negotio quis hauererit. Aliqua exhibuit in eleganti & piâ de idoneo sacrarum literarum interprete dissertatione sub prædio celeb. D. BUDDEI Jenæ 1720. defensâ JO. JAC. RAMBACHIUS , Vir doctissimus , seçt. 1. §. 15. p. 17. sqq. Ut enim ex multis pauca adseramus , ita ille , quante , quefo , illud confiden-
sia est , quod bellum inter Guelfos & Gibellinos gelutum , quod Interim re-
puidiatum , quod transfactionem Passavensem , quod Concilium Tridentinum , quod JO. FRIDERICI , Electoris Saxonie captivitatem , denique ,
quicquid à Christo nato memorata dignum accidit , in cantico Salomonis ordine predictum putat. En verò alia & mirare. Mortem GUSTAVI ADOLPHI in Etsja Capite XXXIII. 7. ille nobis ostendit , Hungaria fata El. XXII. dñeata dicit , consilium novos episcopatus in Belgio insitum
di Etsja deridet C. XIX. 11. Academiam Pragensem à Jesuitis occupatum iri
Ezechiel capite XXXIX. si bono Vtro credimus , ceteris dudum , ut reliqua
audacium interpretationum prodigia verius quam specimina taceamus , ab ad-
versariis ipsius ad invidiam usque exaggerata. Hæc RAMBACHIUS. Nos ex
Theo-

Theologiā parabolicā , quam itidem Propheticam & symbolicam faciunt Viri doctissimi atque ad minutas usque excutient , unicūm fātem exemplū adjiciemus . Mirum est , quantoperē ingenii sui nervos intendant illi ad parabolam de dívite & Lazaro Luce C. XVI. extantem explicandam .
Tres saltem nominabimus , JO. LOMEJERUM , HENR. TEELMANNUM & HERM. DEUSINGUM , qui datā operā istam parabolam explicarunt ; hic quidem in *commentario mystico in Decalogum & explicatione mysticā tūm hīstoria de mulierē hamorboīssā sanitati refitūtā & filiā Jairi ad uitam revocatā , tūm parabolā de epulone dívite & Lazaro mendico* . Levardix 1700. 4. illi in *commentario critico & Theologico in caput XVI. Luca* aliasque insigniores utriusque sacri instrumentis partes , cum prefatione CAMP. VITRINGÆ Amstel. 1695. 1708. 4. iste in *observationibus analyticō-didacticis in caput XVI. Evangelii secundum LUCAM* , quibus fatum Synagoga Iudaica sub N. T. τωτωδεις defribitur . Ultrajecti 1683. 12. A LOMEJERO faciamus inīcium . Hic p. 92. sqq. putat , per dívitem intelligi Judæum , per Lazarum gentilissimum . Dívitis illis , vieti & amicti λαυπησις designari arbitratur beatitudinem Ecclesiæ V. T. cui omnia faliuti media p̄stō tuerint , quæ amicta fuerit iusticiā Christi , quæ faciat fuit pane vix & aquis quietis pota . Ast gentilium conditionem sub V. T. fuisse oppido miseram , ipsiſ 以色列 nullum auxilium fuisse eosque ulceribus peccatorum plenos , totos morbos , extra templum , sanctuarium sanctorumque communionem & οὐκεὶ τὴν πολεων in tenebrola & impurā natura luce versatos fuisse . Per miseros intelligi modicam illam religionis notitiam , quæ ex Judæismo in Gentilissimum manārit . Canes , qui Gentiles in hoc rerum misero statu consolati fuere , non fuere canes dívitiis , id est , Propheta Jef. LVI. 10. 11. hi enim cum totā dívitiis familiā Lazarum i. e. gentiles abominabantur , uti videtur ex Deut. XXIII. 3. Neh. XIII. 1. Matth. XV. 26. 27. Act. XI. 2. 3. Gal. II. sed tales , qui cum mendico οὐκεὶ τὴν πολεων verabantur . Hi autem vel civiles erant vel religiosi . Civiles erant oratores & Philosophi , maximē Cynici , religiosi vates , Sibyllæ , Sacerdotes , Poëtae epicis , tragicis , scenici , comicis , satyrici , hi non sanabant sed lingebant saltem ulcera &c. Mortui sive tandem ambo , h. c. gentilissimi & Judæi absolti fuere & cessavere . Lazarus in finum Abrahæ ab Angelis post mortem deportatus legitur , h. c. gentiles per Mimitros Novi Test. in communionem illam spiritualem cum Abrahamo Matth. VIII. 11. atque ad fidem in Messiam perduicti fuere . Dives vero h. e. Judei moderni sunt iam in inferno , nempe in statu infernorum , ubi sunt ἐν βαρύσιοις tūm conscientia tūm judiciorum Dei , spiritualium & corporalium , & ab Abrahamo petunt recreationem lingue hoc est , conscientia , quis solitus per Sp. S. mediante verbo Evangelii faciendam in hoc statu suo misero , qui ad tempus ipsi nihil promisit , sed ostendit , immane esse discriminem inter ipsorum statum & statum Christianorum ,

sum, ubi ab illo ad hunc ipius per vires naturæ nullus transitus pateat. Et cum dein pro quinque fratribus, hoc est, pro quinque scætis Essænorum, Sadducorum, Pharizorum, Jude Galilæi, Herodiænorum orant, Abrahamus eos ad Moys & Prophetas ablegat. Hæc LOMEJERUS. Audimus jam TEELMANNUM, cuius p. 212, sqq. l. c. hæc est explicatio. Hic per divitem intelligit Judæos, maxime Phariseos, per puram & bysum sacerdotium cultumque Leviticum & Hierosolymitanæ urbis negotiations aequæ magnificientiam, per Lazarum Christum Salvatorem, qui jacuit ante fores divitis, ut ipsum converteret, peccata & ulceræ populi portans, solebatque saturari misericordia & mensa divitibus cadentibus, hoc est, conversione saltem quorundam ex Judæis. Sed advenire canes, h. e. gentiles, & linserunt ulera Lazari, h. e. crediderunt in Christum, in illius ulceribus fatigantes invenientes. Mortuus deinde & sepultus Lazarus hic myticus & comitabitus Angelis in sinu Abrahæni h. e. celum ascendit. Mortuus est quoque & sepultus dives, h. e. Judæorum Republica & urbs destruxæ fuit, episcopique à Deo rejeæta. Ita hoc miseræ statu, qui Judæorum *adūns* est, cum attollerent sec. 2. oculos ad Barcochabum, tanquam Melliam, acceperunt *Bazæus* ab Hadriano, qui magnum persecutionem in Judæos exercuit, & cum demum viderunt, quām procul Abrahamus ab ipsis distet, & qui Lazarus h. e. Iesus Nazarenus sit in sinu ipius, h. e. verus Mellias. Rogant itaque jam Abrahamum, ut mittat Lazarum h. e. Melliam, qui eos in hac miseria suâ consoletur & ab hostiis liberet redicaturque in urbem & templum. Respondet Abrahamus, meritis illis jam peccata luere, Melliam vero consolationem in se & membris suis merito accipere. Neque possibile est, ut Mellias, qui dudum venerari, venias denuo magnunque jam inter ipsum statumque Illus gloriosum & statum illorum miserum hiactum esse. Regerit dives oraque, ut saltem mittatur Mellias ad dominum Patris sui, h. e. ad X tribus in Assyriam deducetas, que sunt quinque illi fratres, quos Judæi adhuc in statu felici esse arbitrantur. Jam & proponit sub finem TEELMANNUS sensum hujus parabolæ typicum. Scilicet dives iste ipsi representat Babelem spirituali, mulierem Apocalypticam, Antichristum ejusque scætatores, Ecclesiæ Romanam cosque, qui sub ejus vexillis militant. Ita enim & Antichristum *Uros* sese & magnum quendam esse Act. V. 36. existimare & divitem, ut in parabolâ dicatur: *αὐθεωτῷ δέ τις ἦ*
τάστῳ. Lazarus porrò ipsi est Christus, ostendens in verbo paupertatem suam, ut homines per eam divites evadere studeant *Ἄλλος μέν πέριεστι*, ulceribus affectus, hoc est denuo sed spirituali modo crucifixus ab impiis vel in membris suis male habitus, ejectus extra portam cordis atque in membris suis excommunicatus & extra portam Ecclesiæ jactus. Idem cupiebat saturari miseriis, h. e. habebat tantum nomina pauca, que non maculabant vestimenta sua, cupiebat etiam saturari ex doctrinâ & verbo illo,
D quod

quod in micas converterant per Theologiam Scholasticam, quæ decidunt de mensa Babelis. Verum etiam canes lingebant ulcera ejus. Per Willibrordum enim & socios ejus ad Frisios, Hollandos &c. pervenit Evangelium, vel si; quos Concilium Tridentinum foras tanquam canes ejiciebat, immo etiam, quos persecutio Antichristi tanquam mortuos premebat canes, Christi ulcera linixerunt & stolas suas dealbaramunt in sanguine agni. Mortuus tandem & Lazarus, h. e. Christus mortuus est in membris suis, & ab Angelis, Pastoribus Ecclesie denuo delatus in finum Ecclesie, qui sinus Abrahami dicitur, quoniam Ecclesia post reformationem iustificationem ex fide sola sine operibus arcifili, quia & sola Abrahamus iustificatus est. Mortuus vero & dives est, h. e. Antichristus revelatus est, qui & peribit spiritu oris Christi, & in penis tormentique existens, quæ Prophete ipsi sunt comminatae; actu mox conperiet, Abrahamus esse à se remotus & Lazarum in finu ejus, hoc est, ex adverso & è longinquio habebit Israelem militarem, duce Messia. Tunc exclamabit Antichristus & invocabit sanctos & dicit: *Pater Abraham, miserere mei!* sed invocatio sanctorum ipsum nūl juvabit. Dicet enim Abrahamus: *Sat datum superbius tuus, O Antichristus,* quam floridus tuus status haecenùs inspiravit tibi, Lazarus, h. e. Ecclesia, quæ mala accepit, cùm tu floreres adhuc, nunc consolationem accipier, tu vero igne comburēris, & in stagnum ignis & sulphuris jacēris, inter quod & ceterum beatorum Ecclesiæque triumphantis magnum chasma est, ut ad illos transire nullus possit. Haecenùs TELMANNUS. Vix autem sustinere potuit, *lector*, moram hanc calamus nofer, quæ ad ista excrēbenda & in compendium fundenda tuta requiri. *Postscriptum* jani in secundam prodeat DEUSINGERIUS. Hic ait, per hominem divitem innui principes populi Iudei, suā saltem opinione divites, per purpuram iustitiam Islam, quam ex observatione legis ceremonialis sūt acquisiuiti putabant Pharisai & imprimis ex sanguine victimarum quotidie immolandarum, per bysum eam iustitiam, quam idem homines ex lege moralī seu ex observatione praeceptorum decalogi comparatis sibi vīt fuerint. Per mendicium idem intelligit peccatores ex gentibus respicentes, & conjungit in nomine Lazarī utramque etymologiam vel à γῆ οὐδὲ non auxiliū vel ab γῇ Δευτερονόμιον (addi poterat tertia illa HILLERI nostri οὐδὲ in fastidio) desumtam, cūm utraque certa ratione hic adipisci possit. Per vestibulum divitii innui credit atrium templi Hierosolymitan exterius, in quo peccatores ex gentibus quasi exulcerati jacuerint. Ulcera Lazari denotare putat conscientiam peccatorum, quæ valde eos excrucierat, quæcunq[ue] indignos se agnoverat, qui in sanctuarium recipiērunt. Unde gentiles esurisse iustitiam, quam apud Iudeos quaesiverint, & *Lazarus* illa five sacrificia, quæ pro futurā gentium conversione à Iudeis offerebantur. Interim veniebant canes h. e. discipuli Christi, (ita enim Galilæos & ethnici vocant Iudei,) & lingebant ulcera ethniconrum, h. e. salutari lingue sua alexi-

alexipharmaco ulceribus ethnicorum emulsiis & expressis praesentaneum adhucuerunt remedium, quando remissionem peccatorum ob merita Christi omnibus sine discrimine gentibus annunciarerunt. Mors Lazarus est conversio gentilium, quā peccato moriuntur, tunc deportatus ab Angelis, hoc est, Apostolis in finum Abrahā h. e. regnum gratiae. Mors dicitur vero est abrogatio cultus Levitici & sepulcrum eius dispersio Iudeorum in omnes gentes. In hac siā calamitate, quoties mentis sue oculos attollunt illi, necesse est, sapere illos recordari promissionei Abrahamo quondam factarum, ita ut videant Lazarum in finu Abrahami recumbentem, id est, gentes omnes benedictionis Abrahamo quondam promissa factas esse coniunctas & participes. Jam clamant illi ad Patrem Abrahamum, ut siā intercessione gratiam Dei ipsius & Messiae adventum impetrer. Respondeat Abrahamus, hoc fieri non posse, Iudeos olim operi terra Canaan gressantes, gentes in atrium illud exterius abjectas & peccatorum suorum conscientia miserè vexatas fuisse, ideo has jam refici, illos puniri, immo magnum hiatum esse & magnum temporis spatium inter refectionem Iudeorum & futuram in ultimiis temporibus eorum conversionem universalem. Per quinque fratres divitis epulonis DEUSINGIUS intelligi quinque illos populos seu quinque illa regna, quae cum Antichristo faciant. Quippe in divortio Papatus & reformatione decem illos Reges, (hoc est, decem regna) qui vires & autoritatem sicut tradiderant beatis Apoc. XVII. 13, in diversas partes iisse, his ex Babylone discendibus, illis beatis & imaginem ejus, sicut ante, adorantibus. Hos posteriores, quoniam repulsi veritate cum infidelibus Iudeis in errore suo obdurserint, non sine causa fratres illorum vocari. Nec est, quod quis objiciat: Irane vero dives iste rogar Abrahamum, ut Lazarum mittat, ut etiam illi quinque fratres. An ergo putamus, Iudeos tamē esse fellicitos de Pontificis corumque salute, ut pro illo apud Patrem suum Abrahamum intercedant? Minime vero, ait DEUSINGIUS. Quippe in parabolis & allegoriis non omnia esse tamē fricē ad literam intellegenda. Itaque nihil aliud hoc *περγυκυκλόπεδον* significari, quam ipsa Iudeorum poena & contumacia Pontificios admoneri, ut caveant sibi, ne, si contumacia illorum exemplum sequantur, eandem quoque contumacia poenam incurant. Hec DEUSINGIUS, qui & recentier HENR. SIKIUS in Bibliotheca librorum novorum T. 5, menie Nov. & Dec. 1699. are. 7. p. 767. lqq. Quis vero est, qui non videat, hac virorum doctillorum cogitata, licet ingeniosa, obtuso collo hic rapta, magnisque hos Theologe parabolicæ, allegoricæ & typicæ excessus esse? Ita vero excessus typicos non ex Cocejo saltē & sequacibus sed & recentissimis scriptoribus HORCHIO, BELLERSHEIMIO, HAMERO, CREMERO, SCHWARZIO aliisque plurimis colligere licet, si tanti res esset. Rogamus vero & his lectorum, ut excessum hunc nostrum in amplificanda hāc notā nobis condonet. Non credideramus primum, notam tamē prolixam facere, quae nobis inopinatus sub currente calamo crevī.

IV.

Ad eos jam noster se vertit calamus, qui in defectu hoc in argu-
mento peccant. Agmen ducunt Sociniani, quos vel ipse SPENCE-
RUS hic refutat, saltē reprechendit, ut vidimus (a). Nīmum au-
tem quod est, Socinianis tribuit ferē SPENCERUS. Etenim Socinia-
ni exp̄sū afferunt, & Sacerdotēs summum fuisse typum Christi &
sacrificia publica pro toto populo facta typicē adumbrāsse sacrificium
Christi, id quod tamen de sacrificiis privatis inficiantur dicuntque,
hēc saltē spiritualia nostra sacrificia adumbrāsse. Conferantur SO-
CINUS (b), CRELLIUS (c), VOLKELIUS (d), nisi quidem
SMALCIUS ille sit, qui rationem typicam simpliciter neget (e).
PRZIPCOVIUS verò in typis ferē modum excedit (f). Socinianos
autem hic refutavere FRANZIUS (g), CALOVIUS (h), MARE-
SIUS (i), OUTRAMUS (k), GÜRTLERUS (l).

(a) Vide supra p. 21.

(b) in praelect. Theol. C. 26. ubi & statut, sacrificia V. T. leviores quasdam
fragilitates & labes quasdam corporis mundans, ait sacrificium corporis
Christi mentis perveritatis & peccata expiare. Addo C. 27. 28. 29. & disp.
de Iesu Christo Servatore P. 2. C. 9. 12. 18. Jam & Catechismus Racovien-
sis docet, solum uniusversarium sacrificium, cuius tangui in lāctum san-
ctorum inferebatur, præfigurare mortem Christi p. 263.(c) in responsione ad librum H. Grotii de satisfactione Christi, ad C. 10. f. 203.
204. 207. Volum autem hic, ut illud c. 10. defensionis Grotiana itidem
evolvatur.

(d) de verā religione L. 5. C. 22.

(e) in refutatione thesūum Franzii super Augst. Confess. p. 363.

(f) Hic in cogitationibus in ep. ad Ephel. C. V. sub finem distinguit in typos
transientes & permanentes, qui posteriores tamen mera saltē allusiones
sunt, ut ex adjectis exemplis patet, veluti cum matrimonium dicunt esse
typus unionis mysticæ, hominis in orbe condito p̄e aliis, qua cum ipso
creata sunt, exaltatio typus exaltationis Christi.

(g) in schola sacrificiorum Patriarchalium sacrâ p. 455.

(h) operum clēsticorum anti-Socinianorum T. i. P. 2. f. 199. 200. 203. sqq.

(i) in Hydrā Socinianismi expugnatā T. 3. p. 621. 632.

(k) de sacrificiis L. I. C. 18. ubi agitur de ratione ac vi typi sacri.

(l) in Instit. Theol. C. 31. n. 183. p. 769. 770.

V.

V.

Secundo loco Remonstrantes hic nobis obviant. Hic verò monemus, GROTIUM, EPISCOPIUM & LIMBURGIUM veros statuisse typos, sed saltem tales, qui κατὰ πνέοντα in sacris literis exstant. JOANNEM verò CLERICUM supra vidimus afferentem, nonnisi typos dari, κατὰ αὐθεντικού ab Apostolis allegatos (a).

- (a) Vide supra p. II. Rationes Viri clarissimi hę sunt. I. Si illi typi, quos nos ponimus, veri sunt atque à Spiritu S. intenti, cur nullibi in sacris literis V. T. explicari & expofiti leguntur, cur fideles V. T. latuere? Vix concipi potest, qui Deus pauci fuerit ita ignorare populum suum, maximè cum mysteria illa typica dicantur esse ratio legis ceremonialis primaria & Evangelium V. T. II. Quæcumque loca in N. T. huic referuntur, per similitudines expoñi possunt. III. Haud pater, qui disputatio ad hominem facta haud deceat Viros sanctos, cum omnium facilime ejusmodi argumenta animis sece insinuant. IV. Hac ratione via panditur ad sacram Scripturam in mille formas & enigmata vertendam, id quod ferri haud debet. V. Nimis utplurimum inter typos illos & antitypos est dissimilitudo, & nimis longè hoc vel illud petitum est ad rem præalentem præfigurandam, ut haud concipi poscit, typum innui. Longè satius foret & verbo divino longè gloriōsus, si alia hic via intiretur. Hac ille. Ait, quid ad hæc ipsa respondendum sit, facile utique ex dictis patet.

VI.

MARSHAMUM & SPENCERUM, doctissimos Anglos jam ordo tangit. Et ille quidem in canone Chronicō (a) ita plerumque differit, ut, quæ à Deo non sine typicā Christi adumbratione instituta fuerant, ipsamque adeo circumcitionem, baptismum, templum, sacerdotium, sacrificia ac ceremonias sacras alias ex Ægyptiorum institutis seculique usu derivet (b). Hic verò eandem ferē viam init, ubi de legibus Hebræorum ritualibus (c) agit. Veritati tamen, cui soli litare debemus, & hoc dandum est, ut dicamus, SPENCERUM omnes in universum typos haud negare. Ubi enim de legum rituumque Mosaicorum fine secundario (d) agit, ait, ritus & instituta quadam legalia mysteriis adumbrandis inserviisse & instituta Mosaica οχισταὶ φίας, umbram

D 3

umbra evanidam Evangelii & lineas quasdam rudiores bonorum cœlestium exhibuisse, id quod & ingenio Mosis, literaturā hieroglyphicā in Ægypto imbuто, cui Spiritus S. seie accommodaverit, & mori Gentium, maximē Ægyptiorum, cui Israëlite fuerint affueti, congruum exsisterit. Fuisse tamen nonnulla tantum legi instituta mystica idem afferit. Ita templum & tabernaculum gessisse dicit cœli imaginem. Addit, Christi adventum, officium, passionem, alia typis & symbolis emphaticis prænunciata fuisse. Quam in rem & Judeos & Patries allegat. Exsistimat rursus, quodam ritus arcana quædam moralia complexos fuisse, ut baptismus externus mundationis interna fuerit monitor. Nec reticeret mysteria historica sub his vel illis typis latitania. Et, quod præstantissimum est, ait vel tandem, id quod ante alia omnia desiderabamus, Deum multa sacrificia ritu tam peculiari atque emphatico celebrari jussisse, ut Christi, piaculi loco pro nobis olim offerendi, figuram expressam & penè loquacem exhiberent. Quæ verba sancte & ipsa emphatica & egregia sunt. Imò patietur lector, ut & hæc addamus. Lubens concedo, ita ait SPENCERUS, eam fuisse rituum quorundam dignitatem & excellentiam planè singularem, quod vividum cœlestium sensum Iudeis incutere & Messiam venturum quasi digito operto monstrare videantur. Cur autem, quæso, mox addit Vir doctus, ceremonias Evangelicas V. T. tam paucas fuisse? Cur nullibi istos typos, quos statuere videtur, explicat? Cur dicta, quæ de typis agunt, energet? Cur rationem sacrificiorum typicam haud explanat? Cur ita hoc de arguento loquitur, ut dicis saltem gratiâ ista prolocutus esse videatur? Neque enim, si excessum saltem in typis reprehendat, nos refragaremur. Sed, ut hoc faceret, non necessarium erat, tantam typorum paucitatem fingere atque dicere, significationem typicam legum ceremonialium finem saltem secundarium fuisse. Nescio vero, num SPENCERO addi hinc amet Vir illustris CHRISTIANUS THOMASIUS, qui mox SPENCERI sententiae pleniorum calculum adjicet (e), mox eandem mitigatam suam facere videtur (f), eapropter ab ALBERTO ZUM FELDE, Theologo auper Kiloniensi præstantissimo (g) notatus.

(2)

- (a) Prodiit Londini 1672. fol. in Belgio dein & Germaniâ scepis recusus.
- (b) Vide p. 189.
- (c) Cantabrigia 1685. Hagae Com. 1686. Lipsiae 1703. 4.
- (d) L. 1. C. XI.
- (e) in prudent. legislat. C. 8.
- (f) in cautelis circa præcognita Jurispr. Ecclesi. C. 7. n. 8.
- (g) in politica sacrâ p. 242.

VII.

Jam in scenam quoque prodeat PET. JONCOURTIUS , Ecclæsiastes olim Hagienfis Reformatus , Gallus. Haud latec eruditos , quantas in Belgio turbas suscitaverit ille , ubi ante hæc tria lustra libellum contra Coccejanos edidit atque nimiam ipsorum typophiliam acri & intolerabilia , ita vilum ipsi fuerat , calamo perfrinxit. Et nimis quoque egisse virum caussam suam & in alterum extremum procubuisse & Theologie typicæ fines nimis coarctasse , profus credimus. Sed ita sanè moti fuere Virūm animi , ut officio excidere nolens ille recantare necessum habuerit. Historiam rei paucis damus (a).

- (a) Prodiere Amstelodami 1707. 12. *Entretiens sur les différentes méthodes d'expliquer l' Ecriture & de prêcher de ceux qu'on appelle COCCEJENS & VOETIENS dans les Provinces unies , où l'on voit , quel temperament on doit apporter dans l' explication des types , des allegories , des Périodes , des prophéties & d'autres choses de ce genre , avec un portrait des Hébraïzans & de leurs erreurs . Qui liber tum & Belgicē prodiit . Mox confiterat , Autorem esse JONCOURTIUM . Haud dici potest , quanto Virūm turba mox in Gallium hunc involaverit . Præcipui extitere SALOM. VAN TIL , Theologus Leydenfis , qui edidit *antidotum xipherinæ moribus D. J. oppositum* . Lugg. Bat. 1707. 4. JO. BRAUNIUS , Theologus Groninganus , cuius exstat *avertissement nécessaire aux Eglises sur les entretiens de Joncourt* Amstel. 1708. 8. JO. D'OUTREIN , Theologus tum Arnheimensis , post Dordracenus , denique Amstelodamensis , qui Belgicā lingua edidit *Brief an een vriind nopens het bæk van Mr. Joncourt , benevens een noodig Voorberigt Amstel. 1707.* Prodiere dein Jacobi Frutieri , Ecclæsiastes Roterodamensis *Dank-adres aan die Heeren Professoren van Til en D'Outrein* , cui hic reposuit Nabericht op zynen brief aan een Vriend nopens de Zamenfspraken van Mr. Joncourt behelſende enige noodige aanmerkingen op het zoo genaamde Dank-adres Amst. 1708. 8. porro nader verklaring en verdediging van het dank-adres aan die Heeren Prof. van Til en D'Outrein over hunne Schriften tegens Mr. Joncourt , tegens het Schriffel van D. S. (Dirk*

(Dirk Smouth) door L. V. G. 8. & Brief an L. V. G. aucheur van het dank-adres aan de Heeren Professoren van Til en D'Outrein geschreven door Jacobus Zuerius tot Middelburg 1708. 8. itemque Het da, Be, Cz, ofte de eerste beginnelen van het geestelich Christendom in het Naburiche van de Heer Professor D'Outrein over Mr. Joncourt en over het Danck-adres gesach door N. K. In s' Gravenhage 1708. 8. Neophili Alethai le chef des moqueurs demasqué, à la Haye 1707. qui liber & Belgicè prodit, Jock en Enst of Kort Zamenfrack over Mr. Joncourt en sine voor- en Tegenbreker, Amsterdam 1708. Proditi & contra Joncourtum defensio Cocceji Gallica & Belgica, cui ille opposuit Nouveaux Entretiens sur les différentes methodes d'expliquer l'Ecriture & de prêcher de ceux, qu'on appelle COCCEJENS & VOETIENS dans les Provinces Unies, Amst. 1708. 8. Scriptif & Joncourtus epistolam Gallicam ad Ecclesiastis Wallonicas Belgij Hague Com. 1708. ubi inter alia regraftationem suam exhibet cum sententia Synodi Noviomagenfis contra ipsum latâ. Pertinet hic quoque Lettre à N. N. contenant le plan des défenses contre les assauts, qu'a fait Joncourt en attaquant dans sa lettre à Mr. d'Outrein les conféderations Prophetiques de Pierre Hamer, à la Haye 1708. 8. Confédération op den brief van M. de Joncourt aan de Walsche Kerken van Nederland. 4. Lettre de plainte de M. Joncourt à Mr. d'Outrein 1708. 8. Kortbondig antwoort op het Klag-adres op den Klag-brief van Mr. de Joncourt door Jo. d'Outrein, Dordrecht 1708. 8. porto Burmanni Joncourtianen Tarlepin 1708. 8. atque Korte aammerkingen over verfcheyde bededagsche Schriften &c. &c. Scilicet & libellis satyricis ineptissimique, ut fieri solet, hec lis non caruit. Piget sane, omnia recenere. Vide Boekzael May en Junius 1708. 4. hoofdstück p. 416. sqq. & Acta erud. Lips. 1708. p. 378. 379. Unum addere debemus, occasione controverfie hujus Joncourtianae JAC. RHENFERDII edidisse libellum Belgicum Harlinga 1708. 12. sub titulo : Kort en opegegt verhaal van de erste vroßpong der Bradertrijnen door Irenaus Philalethes. Hic in operibus à DAV. MILIO editis, uti & alia RHEINFERDI, non exstat.

VIII.

Extremum locum occupet PET. POIRETUS. Novam hic rationem typicam eamque ascetico-typicam cultus Levitici atque sacrificiorum legalium tradidit atque eandem ad sacrificia interna & spiritualia prouersus retulit. Sunt quippe juxta ipsum sacrificia expiatoria, (aliter enim de sacrificiis eucharisticiis sentit,) typi internæ illius mortificationis, quâ peccatum in conversione & sanctificatione in nobis defruitur & immolatur, ubi Christus, præstantissimus ille Sacerdos per Spiritum suum pravam in nobis concupiscentiam interficit & immolat, tabernaculum est anima nostra, in quâ Deus habitat, arca cor nostrum,

strum, ipse Christus est antitypus Tabernaculi, tabularum legis, manuæ, virgæ Aaronis, candelabri, panum propositionis, festa Paschatis, Pentecostes, tabernaculorum præfiguravere plenam Ecclesiæ in postremis temporibus purificationem, & qua ejusmodi sunt, ubi subinde POIRETUS ad RUSBROCHII Commentarium in tabernaculum foderis provocat. Itane ergo, dices, POIRETUS negat, sacrificia expiacionis vetera typos fuisse sacrificii Christi in cruce peracti? Respondeo. Hic ita sentit Vir ingenuus, ut aiat, illa primariò & directè præfigurasse sacrificium internum veteris hominis, sed secundariò & indirectè respxisse sacrificium Christi. Cum nempe homines in veteri fædere mysterium illud sacrificiorum veterum haud penetrarent, saltem haud penetrare vellent, nec exsequerentur, Christus suo exemplo & per suum in cruce sacrificium monstravit, & modo quodam extantissimo & perfectissimo monstravit, qui mysterium illud in sacrificiis veteribus latitans exsequi, qui voluntates nostras & prava desideria mactare & immolare, qui nosmet iplos Deo offerre & sacrificare debeamus, quo ipso & Deo Pati scilicet hominibusque peccatores sic expiavit, dum veteribus sacrificiis ita se substiciebat arque in passione & morte suâ sacrificii perfectissimi exemplum nobis se stitit, quod & nos imitari debeamus. Haec tamen POIRETUS. Et rectè quidem ille haec tamen ait, iacencia olim spiritualem nostræ oblationem cupiditatumque pravarum immolationem significasse. Pia hæc cogitatio est & longè præstantissima, ambabus manibus à nobis amplectenda. Nullus tamen typus hic sic latet, sed allegoria saltem tropologica aut ascetica, vel symbolum externum, ex intentione divinæ spirituale quid, quod in nobis fieri debet, representans. De typo propriè sic dicto & ad sacrificium Christi in cruce peractum immediate & directè respiciente hic quæstio est, quem proflus negat POIRETUS, qui & Christum sese pro nobis obtulisse vult, non ut victimam loco nostro immolatam, ita, ut justitia hæc immolatione parta nobis imputetur, sed saltem ut exemplum, quod nos in sacrificio isto spirituali, quo veterem in nobis hominem immolamus & mactamus, sequi debeamus (a). Istam vero imputationem, istam substitutionem, istam expiationem Christi vi-

cariam quòd abhorrebat POIRETUS, causa non erat. Coordinata ista sunt, non opposita. Quàm egregium verò, quàm præstans, quàm accuratum hoc fuisset, si utramque sacrificiorum rationem & typicam & symbolico-asceticam junxisset hic Vir acutus, id quod facere utique poterat, nullum prorsus detrimentum necessitati veræ conversionis & sanctificationis, quod nos sancè prorsus nollemus, afferendo. Sed nostram quidem orthodoxiam, qua ista amicissimo nexu conjungit, haud satis, ita arbitramur, intellexisse, atque abusum saltem egregiæ illius de satisfactione Christi vicariæ & imputatione justitiae Christi, quæ per fidem fit, doctrinæ, quem & nos cùdem ratione cum ipso abominarum, prædicum jugulâste identi videatur. Refutavit autem hanc POIRETI sententiam JOACH. LANGIUS, Theologus apud Halenses hodie prorsus insignis (b).

- (a) Vide l' économie du rétablissement de l' homme avant l' incarnation de Jésus-Christ T. 4. Ch. 10. §. 9-10. p. 231. sqq. & Ch. 16. §. 12. sqq. Ch. 17. p. 339. sqq.
- (b) in dissertatione Anti-Poiretiana quintâ & sextâ dodecadis primæ. Nec nondum sane solvunt, que in præfatione generali, operibus Poireti posthumis prefixa p. 38. sqq. & in stricturis in Langium p. 809. sqq. regeruntur, nisi quod p. 812. dicitur, Poireum hic *humani quidpiam paßum esse*. Nec sancè sufficit ille locus, qui p. 341. 342. ex economia Poireti adducitur, cum is in illa substitutionem penitalem *vulariam* prout ostendat. quam nos intendimus.

F I N I S.



325

76 4517

X 2284234

VD 18

ULB Halle
007 533 942

3



B.I.G.

Black

White

Magenta

Yellow

Green

Cyan

Blue



COMMENTATIO ACADEMICA
RECTA
THEOLOGIÆ TYPICÆ
CONFORMATI^EON.

Hanc
publico colloquio
subjicient

P R A E S I D E

CHRISTOPH. MATTHÆO
PFAFFIO,

S. Theol. Doct. & Profess. Primario,
Univ. Cancellario & Eccl. Præposito

Respondentes

JOANNES JACOBUS ZWISLER, Bezingensis,
&
JOANNES PHILIPPUS GOELZ, Weilheimensis,
Sacrarum Literarum Cultores

mense Augusto, M DCC XXIII.

in aulâ novâ
horis consuetis.

T U B I N G Æ
impressit GEORGIUS FRIDERICUS PFLICKIUS.

rx.

196.